

8.43.16

*Idem AA. et CC. Charidemo.*

Eum, a quo mutuum sumpsisti pecuniam, in solutum nolentem suscipere nomen debitoris tui compelli iuris ratio non permittit.

*S. XV k. Nov. AA. cons.*

[a. 293]

8.43.17

*Idem AA. et CC. Cassio.*

Manifesti iuris est, tam alio pro debitore solvente, quam rebus pro numerata pecunia consentiente creditore datis, tolli comparatam obligationem.

*S. k. Dee. Sirmi AA. cons.*

[a. 293]

8.43.18

*Idem AA. et CC. Domitio Aphobio.*

Inquisitio veritatis tolli non potuit, quod chirographa, quae fecerat procurator tuus, recepta tibi restituta ab ipsius herede proponas cum subscriptione procuratoris significante, quod nihil creditoribus debeatur, cum nihil prohibeat et creditoribus satisfactum et non vestrae pecuniae, sed ipsius, cui negotium gerendum mandaveras, processisse solutionem.

*S. id. Febr. CC. cons.*

[a. 294]

8.43.19

*Idem AA. et CC. Diogeni.*

Si, actore tam mutuis pecuniis dandis quam debitis recipiendis praeposito, in hoc quod susceperas eius dominae per ipsum fecisti satis, instrumentum inane solutione celebrata nihil tibi nocere potest. Aliter enim solventes servo de actione domini liberare se minime possunt.

*S. Vid. Oct. CC. cons.*

[a. 294]

8.43.20

*Idem AA. et CC. Eucratidi.*

Si operas certi servi pro pecunia sumpta creditorem sibi in debitum compensare placuit creditori, his secundum conventionis fidem praestitis de mancipio restituendo pacti tenor servari debet.

*S. V k. Nov. Hadrianopoli CC. cons.*

[a. 294]